Casimirus
Alb. Joach. Casus fatalis humanae in iure mors.

CASUS FATALIS

Humano in Jure.

Mors nunquam satis ab Ordinibus Academicis deflenda

Perillustris olim Clarissimi & Admodùm Reverendi Domini

D. M. CASIMIRI JARMUNDOWICZ

Utriusq; Juris Doctoris & Professoris, ejusdemq; Facultatis Decani, Ecclesiarum; Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ Custodis, Parochialis in Luborzyca Curati, Contubernii Starnigeliani & Jurisperitorum, tum Alumnatûs Roszczeviani PROVISORIS.

In fundamento Virtutis & Sapientiæ atquè non interrupta Meritorum præscriptione à peremptorio fatorum Termino,

EXCEPTIBILIS.

& dum ei

cum maximo Universitatis dolore In Ecclesia Collegiata SS. OO. Cracoviæ justa funeralia absolverentur,

à

M. ADALBERTO JOACHIMO FOLTANSKI,

Philosophiæ Doctore, Ejusdemquè Regio ac Tyliciano Eloquentiæ Professore, Collega Majore, Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ Annæ Canonico, ibidemq; Festorum Salvatoris & B. V. M. Concionatore.

E voto

Super jactura tanti Viri ingemiscentis Academiæ venturæ Posteritati

PROPOSITUS

Annô, post primum humani generis lapsum, Salutis 1762. Die 12ma Mensis Maji.

CRACOVIÆ, in Typographia Seminarii Episcopalis Academico-Diæcesani.

Nunquam exceptibilis eſt in Jure humano caſus,
alias à fatorum lege hominũ neminẽ eſſe exemptum.
Enimverò
Quot quot Viatores ſumus,
tot Juris humani debitores & evictores exiſtimus.
Proinde
ſive ſeriùs, ſive ocyùs ad immortalitatis evocamur Forũ,
nemini fit præjudicium;
quia omnes illi tenemur parere juri,
quod ex lato in omnes eſt deſumptum ſtatuto:
cui contingit naſci reſtat mori.
Sed quale mihi fundamentum,
caſibûs ſtare, morte vivere?
Nonne commota eſt UNIVERSITAS noſtra!
dum cum ejus jactura ceciderunt Fulcra,
Illi, Qui hucusq; os populi merentur PAŁASZOVII,
Et domi, & foris,
de UNIVERSITATE optimè meriti
nunquam ſatis memorandi ad gloriam
PRINCIPIS CELSISSIMI,
Illuſtriſſimi, Reverendiſſimi, ac Excellentiſſimi Domini
D. CAIETANI SOŁTYK
Epiſcopi Cracovienſis, Ducis Severiæ, Equitis Aquilæ Albæ,
Univerſitatis noſtræ
CANCELLARII, & PROTECTORIS ſingulariſſimi;
& intimi nuper CONSILIARII,
& Curiæ Ejus Celſiſſimæ, JUDICES Surrogati,
Juris & æquitatis amatores, HERCII,
UNIVERSITATIS noſtræ *Statores,*
Patres emeritiſſimi FILIPOVICII.

De

De Dioeceſi hac,
de Literis atq; Literatis,
ſimulq; de Procerum Regni hujus favoribus,
nunquam non bene meriti MAMCZYNII,
quà domi, quà foris,
pro Bono communi laborantes SAŁTSZEVII,
aliiq; faſtis immortalibûs digni,
rerum Academicarum
ut olim, ſic & nuper Aſſertores maximi.
Tantam tantorum Virorum jacturam,
quo animo Academici ferant Ordines!
vel ex ipſis, ſuper quibus, ceu in Nioben verſa,
dolet ingemiſcitq; UNIVERSITAS fatis,
Perilluſtris olim Clariſſimi
M. CASIMIRI JARMUNDOWICZ
Juris Utriusq; DOCTORIS emeritiſſimi, &c.
etiam hoc lugubri ſimulq; Parentali in Actu,
ex compoſita ad triſtitiam omnium fronte,
ex necdum terſis à lacrymis oculis,
ex animis mentibusq;
præ ingenti fatiſcentibus dolore,
hic vel maximè conjicere & intelligere poteſt,
qui Literarum & Literatorum
communis hodie luctûs.
quovis jure & titulô, particeps eſt.
Si flere dicuntur ſuper ſauciato ſuo ſtipite palmites;
Non ne Academicis ingemiſcendum Ordinibus!
dum illis, caſu illoq; fatali,
Primo nuper in Capite,
lethale eſt inflictum vulnus.
Nempe

RECTOR Hic olim MAGNIFICUS;
tertio sui finito peractoq; Rectoratu,
cum Magistratum, quem gloriosissimè gessit,
non modò in liberas Electorum deposuisset manus,
verùm viribûs quantumvis fractus,
publicum, publicæ *Inaugurationis* exornâsset Actum,
intra breve aliquot dierum spatium,
fatalem, *jure in humano* est expertus casum.
O quomodo!
in nunquam evitabili fatorum Foro,
indies novi, etiam non prævisi emergunt casus!
Quis unquam sperâsset?
ut sic subitò Vir cecidisset Ille,
per Quem toties suo stetit in esse Universitas.
Sed non potuit cadere, ipsis superior fatîs,
Cui pietas & orthodoxa Religio,
quam non solùm à suis *Catholicis Parentibus,*
ipso cum lacte imbiberat,
verùm etiam ab *Avis Atavisq;* naturali jure,
sibi transfusam habuit,
prima ad immortalitatem fundamenta jecit.
Ejus PROGENITOREM
omnî titulô dixissem majorem,
ni suô sæculô parem Æsculapiis
& Principes, & extra quamcunq; exceptionem
Quibus, bene notus, familiarisq; fuerat
ùt testabantur, ita testari possent Viri
JABŁONOVII, KONIECPOLSCII, KORYCINII,
BUDZINII,
aliiq; in *Toga* & *Sago* bene meriti PROCERES.
Proinde
notîs, tritîsq; *Antecessorum suorum insistendo vestigiis,*
indita

indita sibi à benigniori natura talenta
ne unquam pateretur sterilescere,
quæ ab antiquo est hoc in Regno ingeniorum Cultrix,
Jagelonicæ hac Craci in Urbe nomen dedit Palladi.
Per omnes eruditi laboris procedendo vias,
in Literaria arena nunquam stadiodromus fuit;
si aliis non præripuit palmam,
procerto, nemini, porrexit herbam.
Binâ, *in Philosophia* redimitus Laureâ,
eandem sangvineo irrigando sudore,
velut sui in purpura atq; cortice
non faciebat erubescere rosam.
Ex Logicalibus spinis *Argumentosa apis,*
ad reficiendas studentium mentes,
mel, & ipsum veritatis colligebat succum.
Cessit Jlli svavitatem oris *Arpinas,*
vehementiam dictionis *Demosthenes,*
varietatem sermonis *Tullius,*
rerum naturalium peritiam *Plinius,*
cognoscendæ veritatis rationem *Aristoteles,*
styli ligati miram elegantiam *Mantuanus Vates.*
Aliàs
Philosophus, Orator & Poëta,
ut à primis ætatis suæ igniculis,
sic etiam, naturali deficiente fervore,
semper, & ubiq; locorum celeberrimus fuit.
Vidit hæc *Major Polonia*
& ex utroq; agnovit Cæsarem.
Decennio in Academia Posnaniensi *Professor*
illam Percelebrem semper *Coloniam.*
& magnîs suis exornavit promeritîs,
& typîs expressis, illustravit Lucubrationibus.
Quantâ VLADISLAUS & CASIMIRUS Poloniarũ Reges,
suo Præceptori CALLIMACHO testati sunt gratitudinẽ.
tantam & Illi mago Hironi
Jllustrissimus olim & Excellentissimus Dominus.

B VLA-

VLADISLAUS RADOMICKI.

PALATINUS POSNANIENSIS.

Cujus educationi, prudentiæ, atq; fidelitati
pignus *Domus* suæ Jllustrissimæ.
spem Perantiquæ *Familiæ*,
ad quævis maxima natam PROLEM suam commiserat,
semper testatus est
Vidit etenim magnorum Virorum perspicacissimus,
quomodo genuinos *Aquilæ Sarmaticæ* Pullos,
Sic ad *Scholasticum* erudiebat *Phœbum*,
ut etiam *Serenissimos* Honorum *Soles*
possent inconviva spectare palpebrâ.
Magnus meritis, & suis laboribus,
ex Majori redux *Polonia*,
in *Minori Collegio*,
quod magnorum est Seminarium Virorum,
Ejus non modò vindicavit, resuscitavitq; Jura,
verùm & conquisitis munivit Documentis,
Verè sangvineo sudore
Decanalem ad se allexit *Purpuram*.
Fuit non modo in argumentando subtilis,
sed simul in docendo explicandoq; clarus.
Si in hoc Magistratu
aliquis eum ignoraret PRINCIPEM
ipsa, quam erga omnes gerebat, affabilitas,
Jllum quodammodo prodere videbatur.
Hunc ut laboriosissimum PROFESSOREM
sic & Vigilantissimum agnovit DIRECTOREM
posnaniensis in Majori Polonia, Colonia.
Et sicut in vinea hac Academica
fidelis fuerat operarius
sic ejus optimum gessit Patremfamilias,
Judiciorum *Jllustrissimi Posnaniensis Consistorii*
consultissimus omni in Jure Assessor,
quæ ad mentem *Legis Divinæ*,
atq; *Sacrorum Canonum* dabat responsa,

illa, tanquam oracula fuere,
Librorum per Diœcesim Posnaniensem
SYNODALIS CENSOR
non modo varia approbavit scripta,
verum ipse multo plura annalibus ipsis
reliquit inserenda,
Quinquennis in UNIVERSITATE hac
Tylicianus Orator
sicut almæ Matris fuit Corona
sic & *Nobilissimo Auditori*
scientiæ, honestatis, reliquerat fructus.
Et quoniam hi nulli fatorum curruptioni subsunt
ideò in offam Libitinæ cedere non possunt,
Casum quidem humano in jure expertus fatalem.
sed illum ubique locorum sidera versùs attollit
& nota omnibus eruditio, & erudita virtus.
Nacta est sui non casu aliquo Maronem
Jllustrissima RADOMICCIORUM Domus,
cùm quæ nuper sors *Palatinalis Honoris*
in Jllustrissimum olim ac Excellentissimum Dominum
MATHIAM RADOMICKI
vissa est cecidisse;
illam lucubratione sua Academica
& exornavit, & illustravit publica in luce.
Jn primo Majori in Polonia Præfecturæ aditu
Trajanum post Nervam
veneratus quàm solennissimè
Jllustrissimum & Excellentissimum Dominum
JOANNEM PRZEBENDOWSKI
Thesaurarium Regni,
hinc & erga se, & Academicas Musas
singularem est lucratus benevolentiam,
Ejusdem Authoritatis & Jurisdictionis
capessenti Fasces
LUDOVICO SZOŁDRSKI
Academicarum Musarum Protectorum maximo

 Nava;

Navalem Coronam
officiosissimo dum contulerat cultu
suæ perennis gloriæ reperierat portum.
Est ejus immortalis Nominis Lucerna
Agnus Szaniavius.
humi serpere non sinunt
super Vaticanis collibus elevata
Rastra Lipsciana
Ejus eruditionem solidam,
in arte Oratoria peritiam
æquè magnis Nominibus dicata
Panegyrica Typis mandata loquuntur opera,
uti
Jllustrissimo & Reverendissimo Domino
ADAMO PONINSKI
Episcopo Aranensi Suffraganeo Posnaniensi
sub titulo *Felix Navigium.*
FRANCISCO KAZNOWSKI
Episcopo Domitiopolitano
Suffraganeo & Officiali Posnaniensi,
Rationale Pontificum.
JOANNI ZYWERT
Canonico Sandomiriensi Consistorii Generalis Cracoviensis actuario NOTARIO
Protocollum virtutum & meritorum.
JOANNI KRALL
Canonico Cathedrali Posnaniensi
Paragraphus Gloriæ.
ANTONIO ŁUKOMSKI
Abbati Landensi
Fundatio Ecclesiæ Landensis.
Calamô & ingeniô felix
Jllustrissimo & Excellentissimo Domino
GASPARO MODLIBOWSKI
Castellano Mederecensi
cum SOPHIA de RADOMICCIIS.
DEMETRIO JABŁONOWSKI

cum

cum CATHARINA de SZEMBECCIIS
in auspicatissimo Orbi Polono Hymenæo
etiam Patriâ Musâ
plausibus addidit plausus.
Pro innato semper Academicis candore
erga suos Principes & Protectores
Serenissimum ac Jnvictissimum
nobis usq; hodiè feliciſſimè regnantem
AUGUSTUM III.
Poloniarum Regem
Panegyrico cultu exceperat.
Et sicut laudari à Regibus & Principibus
non vulgaris aliqua laus dicitur,
sic laudare Reges & Principes
unicuiq; plusquàm ad gloriam.
Consultissimæ Juridicæ incorporatus Facultati
semper quæ pro juribus sunt agenda
fecit, egitq; strenuissimè.
Juris Utriusq;
emeritissimus DOCTOR,
illa ex Cathedra proferebat effata,
quæ intra legum volumina, intra protocolla & pandectas
non modò vidit, sed vix quando aliquis legit.
Jam à SACRA NUNTIATURA,
jam ex Jllustrissimo Cracoviensi OFFICIO
in arduis persæpe Diæceseos
delegatus Commissarius & Arbiter,
quidquid definivit, conclusitq;
pro legum qua pollebat notitia
nil unquam justi æquiquè excessit regulam.
Universitatis Cracoviensis RECTOR olim *Magnificus*,
Huic Almæ scientiarum MATRI
Talis in *Ejus* senio provisus fuit *Pater*
Qualem & Regnum Literarium,
ad sui integritatem videbatur exposcere,
& Regia desiderare Sceptra,
Non modo præfuit, sed & plurimùm profuit,

Jagelonicis hac Craci in Urbe Musis;
Quas semper candore notabiles
non fucata, aut ad speciem eruditione conspicuas
utì nuper per editam sui *Propugnationem*
firmissimîs utroq; ex Jure roboratam rationibûs
ab illorum voluit vindicare impetitione,
qui in aliorum messem
suam satagunt immittere falcem,
sic UNIVERSITATIS Legum & Jurium
primus factus ASSERTOR,
pro illis hucusq; zelavit dexterrimè,
donec fatali Jure in humano casu
ad immortalitatis fuerit evocatus Forum.
Ultra *quadraginta annorum spatium*
in UNIVERSITATE hac
DOCTOR & PROFESSOR meritissimus
Ultra *quaternaria temporis lustra*
in Ecclesia CATHEDRALI Cracoviensi
Festorum Salvatoris & B.V. Mariæ
CONCIONATOR Zelosissimus;
prout ACADEMIAM doctis
ita ECCLESIAM sacris cumulavit laboribûs,
Auxit suîs meritîs utriusq; gloriam *vivus*,
etiam jure naturali hoc sibi debuit promereri *extinctus*,
ut hoc fatali Jure in humano casu
utramq; ad communicationem doloris publici
haberet sociam.
Apertîs iam luget oculîs
suum utroq; in Jure peritissimum DOCTOREM
acsi in sinu Ejus enutrita Diva Themis,
Quem extra Atheniensium Areopagum
Alterum habuit Solonem.
Deflent non modò eruditorum
in UNIVERSITATE Cathedræ,
verùm & Ecclesiasticæ
in Divorum Ædibus Exedræ
quas eruditione sua

& sa

& facris fermonibûs
ad æterni Numinis Gloriam,
ad Academici Nominis Commendationem
femper ornaverat.
fed maximè
inflictum Tibi vulnus
Stans fub Sceptrifera Cruce, dolorofa
Alma fcientiarum MATER
UNIVERSITAS
dum poft Illos
Qui Tui in adverfis Defenfores fuêre
NAYMANOVICIOS, JODŁOVIOS,
Utriusq; Juris DOCTORES & PROFESSORES
MARKIEVIOS, VADOVIOS
MAKOWSCIOS & nuper FILIPOVICIOS
Orbis Academici SUCCOLLATORES,
fatali, humano in Jure, casu
poft *Atlantes* amififti *Herculem.*
Suftentabat Te
quantumvis lafsatîs humerîs
ad ipfam enervationem virium,
Jam quidem
à fatorum violentia impetitus
cecidit,
fed velut Anthæus
ut à cafu fortior furgeret,
hic fatalis Jure in humano cafus
quoniam *à peremptorio*
Legis communis *Termino*
non eft exceptibilis
ad illum non aliter refpondere pofsumus,
nifi, *quæ pondera vocis habent,* lachrymîs
Nec mirum
quod non modo
Univerfis Academici Ordines
non aliter hunc Actum lugubrem
nifi
perfufi lachrymis

celebrent,
sed etiam vos
hic fatalis Ejus casus
usq; ad divisionem animarum perstringit
Illustres Clarissimi & Admodum Reverendi Domini
M. ANDREA LIPIEWICZ
Ecclesiæ Collegiatæ SS; OO:
CANCELLARIE.
M. STANISLAE FICZKIEWICZ
Ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ *Canonice*,
Utriusq; Juris PROFESSORES
& COLLEGÆ JURIDICI,
Ultimæ Ejus voluntatis
EXECUTORES Integerrimi.
Ardor ille amorq;
qui erga *vivum* in vobis fuerat,
non videtur in *extinctum* minutus.
Ut nuper *superstitis* complexi estis amores,
sic hodie super *defuncto* comprehenditis dolores.
Redditis ultima officia
& gratitudinis & humanitatis, Illi
Quem semper & habuistis & amâstis ut PATREM.
Quasi unâ omnes deplorant pupillâ
ACADEM*ICI* ORD*I*NES
extinctum sibi in Literario Orbe Lumen;
profusas tamen ab oculis lachrymas
hoc solùm temperat,
quòd casus hic licetsi non possit Jure in humano
esse exceptibilis,
tamen in fundamento Sapientiæ & meritorum,
à fatorum lege
omnem meretur
EXCEPTIONEM.